

tit. c) Omnino etiam, si naturalem rationem sequimur, dicendum erit, sine causa possessorem id habere, quod ex fructibus rei alienae lucratus est. Causa enim de iure naturae plane non adest, quum ex hoc bonae fidei possessori ius acquirendi fructus plane non detur. Sed etiam si aderat, uti de iure romano adest, tamen definit adesse, dum dominus superuenit. Eousque enim possessori ius acquirendi fructus rei alienae ipsis legibus romanis indultum tantum est. Hanc ob causam enim fructus exstantes quoque restituere debet, nisi usu eos ceperit, ideoque ex alia causa teneat. Nam si hoc sufficeret, quod fructus non sine causa acquisiuerit, nec superueniente domino desineret ista causa, nescio sane, quomodo & qua ratione bonae fidei possessor ad restituendos fructus exstantes adstringi posset. Sed sicuti in his distinguitur id, quod iusta causa acquisitum est, ab eo, quod iusta causa retinere licet, ita naturali rationi omnino conuenire videtur, eandem distinctionem quoque recipere in fructibus consumtis.

§. IIII.

Romani autem, quum in quaestione, de iure bonae fidei possessoris circa fructus rei a se possessae, in genere recesserint a iuris naturalis praeceptis, id maxime in eo fecisse videntur, quod fructuum, ante litem susceptam, consumptorum dominium ei tribuerint cum damno veri domini.

c) Docet enim, bonae fidei possessor non tantum fructus pendentes, sed & exstantes restituere debere.